



De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

**Ulloa, Joannes de
Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1719**

§. 2. De tempore intrinseco, seu durationibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81404](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81404)

bet perigæum; Ita hora extrinseca, dies extrinsecus, annus extrinsecus, mane extrinsecum, vesper extrinsecus consistunt in diversis portionibus, & locis hujus motus solaris. Hora extrinseca consistit in eo numero motuum localium quibus Sol conficit 15. gradus antrosum versus occidentem. Dies extrinsecus artificialis est numerus ille motuum, quibus transilit totum unum hemyspherium ab horizonte orientali usque ad occidentalem inclusive. Dies extrinsecus naturalis est ille numerus motuum quibus circumit totum globum terraqueum à puncto A v. g. non usque ad idem in individuo, sed usque ad proxime collaterale versus alterum ex polis, & proximè vicinior orienti, & proxime vicinior firmamento, aut terræ: Cumque, si horas mensuremus per motum fixarum, aut per numerum durationum respondentium motui earum veloci, ut octo, quem non habent juxta dicta, sed poterant habere, sint jam elapsæ 24. horæ, & multum plus, quando hodie Sol redit ad punctum collaterale, inde est, quod expendit plusquam 24. horas, si eo modo mensurentur. Annus extrinsecus est ille numerus motuum, quibus à primo puncto arietis v. g. movetur versus occidentem, versus firmamentum, versus nostrum polum, versus terram, & versus polum alterum, donec redeat in illud, vel in vicinum punctum arietis: Cumque totum hoc iter citius absolveretur, si moveretur Sol velocitate illa, ut octo, aut saltem velocitate fixarum; hac de causa annus extrinsecus vulgaris, & communis, longior est anno, qui regularetur per motum ita velocem, sicut est motus diurnus fixarum, aut per numerum durationum respondentium velocitati, ut octo. Rursus *mane* extrinsecum est ille numerus motuum, quibus Sol percurrit spatium, quod in sphæra recta, nempe sub æquinoctiali, est inter sextum decimum plus, minusve gradum, infra horizontem orientalem (tunc quippe incipere solet diluculum) & meridianum. quia licet hoc consistat in indivisibili, sicut media nox, cæteræ portiones diei habent magnam latitudinem; unde mirum non est, quod

matutino tempori demus tantum numerum solarium motuum. Vesper demum extrinsecus est ille numerus motuum, quibus percurrit Sol spatium, quod est inter 45. gradum ultra meridianum (tunc enim est hora tertia pomeridiana) & sextum decimum circiter infra horizontem occidentalem: quia tunc finiri solent crepuscula vespertina, nimirum sesqui hora post occasum Solis. In his tamen calculis attendendus est situs Regionum, & solis ipsius. Hactenus de tempore extrinseco totali, atque partiali.

§. SECUNDUS.

XIV. **T**EMPUS intrinsecum est numerus durationum, quibus singulæ res conservantur, hoc est continue, successive producuntur à DEO, una quippe sola duratio non est tempus, sed temporis quædam indivisibilis particula, unde quamvis tempus extrinsecum sit unum tantum v. g. motus Solis, aut si malueris motus fixarum, tempora intrinseca tot sunt, quot sunt res creatæ, quæ permanentes sunt; Imo cum plerique ex effectibus quos experimur, possint produci à causis valde diversis, & consequenter numero, & tenore actionum valde diversarum, fit, quod multæ res sint capaces habendi tempora intrinseca valde diversa. Neque est inconveniens, quod multiplex sit tempus illud, quod non est publica, communis, universalis mensura durationum rerum, quale non est tempus intrinsecum; Et quod sit unicum tempus illud, quod est publica, stabilis, universalisq; mensura durationum rerum, quale est tempus extrinsecum. Suppono igitur ex his, quæ fuisse explicui in Physica speculati: Disp. 4. à cap. I. quod sicut sunt physice ex parte rerum quædam entitates, quas ibi dixi esse modales, quæ vocantur *præsentia*, prout præsentia distinguitur à forma extrema, & figura, quæ solet dici bona, aut mala præsentia, quæq; constituitur partim per præsentias partium illius rei, partim per aliarum præsentiarum carentias. Ita sunt verè ex parte rerum aliæ entitates, modales apud me, quæ dicuntur *durationes*: Et sicut per illas formaliter immediate constituitur res in tali aut

aut tali loco extrinsecò, quando hic datur, ita per has constituitur res in tali, aut tali tempore extrinsecò, quando hoc datur; Et sicut per illas constituitur res formaliter immediatè distans localiter ab aliis rebus, saltem quo ad locum intrinsecum, adeò, ut quamvis DEus destrueret omnem locum extrinsecum, adhuc posset producere duas creaturas, inter quas posset ponere alias; ita per has durationes constituitur vel formaliter immediatè distans temporaliter quoad tempus intrinsecum ab aliis rebus, adeò, ut quamvis cessaret omnis motus coelorum, nullumque foret tempus extrinsecum, adhuc posset DEus producere duos homines, quorum unus jam esset mortuus, quando inciperet vivere alter. Et sicut quævis creatura ex illis, quæ non sunt essentialiter affixæ loco, potest habere longam seriem præsentiarum, quarum unæ sunt essentialiter post alias, quatenus habent ex sua essentia, ut si existant in rebus unæ, existant ultrà, aut citrà alias; Ita quævis creatura ex illis, quæ non sunt essentialiter affixæ tempori determinato potest habere longam seriem durationum, quarum aliæ sint essentialiter post alias, quia quævis est essentialiter determinata, ut si existat, existat tunc, & non ante, neque post. Et sicut præsentia sunt locus intrinsecus, sive *ubi* intrinsecum rei; ita durationes sunt tempus, sive *quando* intrinsecum rei. Et sicut præsentia, utpote rationes formales distandi localiter, sunt essentialiter incapaces, ut sint in eodem loco, nempe quando sermo est de præsentis, quæ possunt existere in eodem tempore, quin existant in eodem loco, adeò ut nec divinitus possit contingere, ut individua illa mea restricta præsentia, quæ dicitur *Madridana* penetretur cum individua ea mea præsentia restricta, quæ dicitur *Romana*; ita durationes utpote rationes formales distandi quo ad tempus essentialiter sunt incapaces, ut existant in eodem tempore, adeò ut nec divinitus possit fieri, ut illa mea individua restricta duratio quæ dicitur *bodierna* coexistat illi, quæ vocatur *besterna*. Tamen enim rationes for-

R. P. Ulloa de Principio & Fine Mundi,

males subeundi aliquam denominationem, multoties non subeant eam, nempe, quia multoties sunt incapaces subeundi eam (ut cognitio est incapax, quæ cognoscat, quia non est potentia cognoscitiva, sed actus cognoscendi) alit quando capaces sunt subeundi eam denominationem, ut præsentia, quæ verè distat localiter ab alia præsentia, & duratio, quæ verè distat temporaliter ab alia duratione, per se immediatè, ac formaliter, & non per aliud habent eam denominationem: Quippe si illam haberent per aliam reflexam rationem formalem, de hac esset eadem difficultas; num scilicet per se immediatè, an per aliud subiret illam denominationem: Unde abiremus in infinitum. Demum sicut linea, series, aut complexum multarum præsentiarum mearum dicitur meus locus intrinsecus *realis*, quando illæ existunt modo sibi proportionato; Et dicitur meus locus intrinsecus *imaginarivus*, quando non existunt, possunt verò existere; Ita series, tenor, linea, complexum ex multis meis durationibus, dicitur meum tempus intrinsecum *reale*, quando illæ durationes existunt modo sibi proportionato, nimirum aliæ post alias: & dicitur tempus merè imaginarium, quando licet nec sint, nec fuerint, nec futuræ sint, possunt tamen esse. Hac Philosophiâ loco citato explicatâ, & hic suppositâ, solvuntur pleræque difficultates, quas proponit Augustinus.

Lib. 11. Conf.
à cap. 15.

XV. Sed quid sunt physicè ex parte rerum hæ durationes, quarum seriem, & successivè continuatam lineam, dico esse tempus intrinsecum: Respondi jam Disput. illa 4. Physicæ speculativæ, nunc breviter dico quid est physicè ex parte rerum, fluxum aquæ fontanæ *durare*, *continuari*, & *perseverare*. Et ne multitudine linearum, seu filorum aquæ obruatur imaginatio, hanc contrahamus ad unum filum, sive lineam physicè indivisibilem quoad latitudinem. Profecto hæc duratio, perseverantia, sive continuatio fontis non stat adæquatè ac præcisè in eo, quod arceantur impedimenta, quoniam licet alia omnia arcerentur,

B 2

si

si aqua non daretur, aqua certè non fluere ex fonte: Stat ergò illa duratio, seu continuatio in successivis continuis indivisibilibus *egressionibus* indivisibilium guttarum illius lineæ aquæ ex fonte ipso: v. g. Egreditur guttula A, immediatè post datur egressio alia, quæ est guttula B, immediatè post egressio alia, quæ est guttula C &c. atque his continuis successivis egressionibus positis, durat, perseverat, & conservatur fluxus aquæ fontanæ; idem dico de duratione, ac conservatione fluminis. Stat quippe in successivis, & continuatis sine parenthesi *egressionibus* aquæ illius ex mari. Idem dico de duratione pluviae: stat in successivis, continuatisque *lapsibus* aquæ ex nubibus: similiter. Quid est physicè ex parte rerum, lucernæ lucem durare? Requiritur utique, quod non detur impedimentum lucis; at non consistit in hoc præcisè, sed in successivis continuis productionibus, quibus flamma jam accensa producit alias flammulas in particulis ceræ, aut olei successivè, continue liquefactis, atque successivè continuè converfis in lucem quoad puriores, & pinguiore suas particulas. Verum est, quod hæc verba *rem durare, continuari, conservari, perseverare*, vulgò hominum sonant immunitatem à prævalente hoste; at philosophicè loquendo non consistit formaliter immediatè in hac sola immunitate, sed in continuata serie successivarum indivisibilium actionum, quibus DEus, utpote causa prima universalis producit continuè, successivè rem illam. Hæc quippe successio cum sit quid physicum, & reale & non pure apparens aliquando incipiens, aliquando desinens, poni debet in aliquo physico, & reali; In nullo autem melius, quam in productione ipsa rei, quando hæc est permanens, sive capax existendi per aliquod tempus. Merito itaque duratio, & conservatio vocantur; *Continuata productio*: quia verò protectio, & immunitas è contrario, alias rem destructuro, est magis nota vulgò hominum, & quia DEus tanquam Author naturalis non pergit conservare rem, quando fortius adest hujus contra-

rium, & pergit conservare illam, quando hoc non adest: hac de causa invaluit apud vulgus, quod duratio, perseverantia, continuatio, sive conservatio rei apprehendatur per speciem protectionis, sive immunitatis rei à contrario fortiore. Hinc fit, quod quamvis multæ causæ creatæ producant, non tantum dispositivè, sed verè, formaliter immediatè effectus creatos; nulla tamen creatura occidit plusquam merè dispositivè rem aliam viventem, quam formaliter immediatè non conservat. Duntaxat enim facit aliquid in cuius sensu composito nequit DEUS, ut Author naturalis, pergere in serie, seu linea actionum, quibus illud vivens continuè producat; De cætero cum nequeat ulla creatura facere contra subiectum vivens actionem physicam externam saltem ex his, quas novimus, in cuius sensu composito non possit DEUS pergere in serie productionum illius viventis, quandoquidem nulla creatura conservat immediatè, positivè, ac directè aliud vivens, sed tantum suas proprias actiones; inde est, quod nullius creaturæ actio est per se essentialiter destructio formalis, & immediata viventis alius; ergo una creatura non nisi dispositivè occidit rem viventem, Considera omnia genera mortis, quæ homines excogitarunt, & exercuerunt, certe poterat DEUS absolute ac simpliciter conservare, in sensu composito earum actionum vitam illius, qui occiditur, hoc est continuare seriem actionum successivarum, quibus illum prius producebat continue successivè.

XVI. Igitur duratio, tempus intrinsecum continuatio perseverantia rei stat physicè ex parte rerum in serie productionum, quibus successivè continue egreditur res à causa sua; non quidem egressionem locali sicut aqua egreditur ex fonte, & fluvius ex mari; sed egressionem physicæ causalitatis, sicut radii solares à sole, calor ab igne &c. Et sicut non est labor, aut imperfectio solis quod sit in successiva, continua productione lucis per cuncta hemysphæria; ita non est imperfe-

perfectio, pensum, labor, aut fatigatio divinae omnipotentiae, quod sit in actuali continuo exercitio producendi cunctas creaturas, quibus mundus constat. Hæc duratio, sive conservatio hujus chartæ v.g. potest dici una sola, sed in eodem sensu, in quo hæc eadem charta dicitur una, nempe unitate compositionis; sicut non hæc charta ita est una, ut sit physice divisibilis in innumera puncta papyracea physice indivisibilia; sic duratio tota, sive productio æterna animæ rationalis est quidem una sola; sed physice divisibilis in infinitas indivisibiles actiones, quibus successive continue DEUS illam in æternum producet. Quia nullum est assignabile momentum, in quo nequiret DEUS cessare à productione illius animæ, si non decrevisset illam æternum conservare; ergo productio illius per totam æternitatem à parte post non est una simplex, ac indivisibilis, sed est una unitate compositionis ex innumeris successivis continuis indivisibilibus productionibus (quæ sunt instantia intrinseca ipsius animæ) sicut quodvis aliud continuum quoad localem longitudinem, est unum unitate compositionis ex innumeris particulis physice indivisibilibus actu, & extensis versus longitudinem. Indivisibiles illæ successivæ productiones sunt id, quod vocamus *durationes*, & quibus dicimus constare tempus intrinsecum creaturarum: DEUS autem quamvis capax sit loci intrinseci, quia titulo suæ immensitatis est ubique physice, ac realiter præsens non minus quam nos præsentem sumus in eoloco, in quo sumus; Ast incapax est temporis intrinseci, & consequenter incapax est durandi, quoniam incapax est successionis in se ipso: Omne autem tempus imbibit successionem, quia est numerus motuum *secundum prius, & posterius*.

§. TERTIUS.

De Vespere, Mane, Die, ac Luce, quæ fuerunt ante Solis productionem.

XVII. **H**inc primo. Cum nulla sit possibilis creatura perma-

nens, quam non possit DEUS producere quando & quamdiu voluerit, inde est, quod respectu omnis creaturæ permanentis, physiceque indivisibilis, idem respective dico de physice divisibilibus, est possibilis linea, seu series infinita, constans infinitis successivis continuis, physiceque indivisibilibus productionibus ejusdem, & etiam discretis, quia rem destructam potest DEUS reproducere, sicut reproducet cunctos mortuos in die judicii: Ex tota hac linea productionum possibilitium in infinitum extensarum, individua illa, quam DEUS libere elegit: & antequam nulla alia ex possibilibus illius lineæ fuit, est, quæ dicitur prima productio rei. Individua illæ ante quas fuit alia, & post quas alia erit, vocantur *durationes*; Individua tandem illa, ante quam fuit alia, & post quam immediatè non est alia, est ultima pro tunc duratio rei, & hæc deficit, non tunc sed in instanti immediatè subsequente. Hinc 2do sicut tempus extrinsecum divisi supra in horas, dies, vespere, mane, menses, annosque *extrinsecos*, regulatos per motum Solis. Ita tempus intrinsecum dividi potest similiter regulando membra dividendia per numerum durationum rei, responder enim illi portioni temporis extrinseci, de qua fuerit sermo: v.g. vesper intrinsecus est ille numerus durationum, qui respondet motui Solis à meridiano usque ad 45. gradum versus occidentem &c. sed cum hic numerus non sit nobis perceptibilis, sicut nec perceptibiles sunt durationes ipsæ, aut successivæ productiones rerum, ideò hic modus supputandi horas, dies &c. non est practicus, sed speculativus, non est humanus, sed Angelicus: Duntaxat enim possumus dicere abstractè, improprie, ac per modum exempli, una hora intrinseca constat centum millionibus successivarum indivisibilium productionum hujus chartæ v.g. in ordine quippe ad hunc calculum perinde se habet charta hæc, atque Empyræum, cum tam indivisibiles successivæ, ac continuæ sint productiones hujus chartæ, quamdiu illa durat, quam productiones Empyræi; una dies in-